



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XVIII. De his, qui obligati sunt ad Horas Canonicas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Erot. Eccl. Cap. XVII. De illis, qui obligati sunt &c. 23

tuas obtinent in hac insigni Ecclesia, & institutionem ac provisionem habent ab hoc nobilissimo Monasterio, juxta tradita per d. Quintanadiv. d. tr. 8. singul. 8. qui concedit his Capellanis beneficiatis, ut possint etiam recitare officium de Sanctiss. Sacramento, de Immaculata Conceptione Deiparæ, & de aliis officiis ex privilegio S. Sedis concessis prædictis Monialibus.

38. *Quer.* An Clericus Romanus possit recitare Officium Ambrosianum aliqua vice? & subinde an Clericus Ambrosianus possit recitare Officium Romanum? *Resp.* Clericum Romanum neque una vice absque gravi culpa posse recitare Officium Ambrosianum, seu alterius ritus à Romano, resistente Bulla S. Pii Quinti. At Clericum Ambrosianum, vel alterius ritus posse recitare Romanum privatim; nisi expresse prohibeatur à suo Superiore. Tamburin. qui alios DD. citat, d. lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 33. in Decalogum.

39. *Quer.* Quem ritum servare debeat Clericus advena in officio recitando? *Resp.* Si Regularis est, non potest deferere ritum suæ Religionis. Si verò est Clericus sæcularis, potest recitare officium vel juxta ritum Patriæ suæ, vel Ecclesiæ, in qua habet beneficium, vel loci, in quo moram trahit. Tamburin. d. §. 2. num. 36. & seqq.

40. *Quer.* Quot condiciones sint servandæ in recitatione officii Divini? *Resp.* Sex, videlicet, ut recitetur cum Attentione, Intentione, sine verborum omissione, seu mutilatione, seu interruptione; & sine ordinis inversione. Attentione saltem virtualis esse debet, quia actualis ex humana infirmitate difficillimè custoditur. Intentio consistit in interno proposito Deum orandi, & laudandi: & licet quis Horas persolveret animo non satisfaciendi Præcepto, sed eas iterum recitandi, non tenetur tamen amplius recitare, quia servatur Præceptum, exhibita re præcepta, etiam sine animo servandi Præceptum. Omissio Verborum est cavenda, quod fit ea integra recitando. Mutilatio est vitanda, maximè si lingua præcipiti quis recitet, vel focii finitum versiculum non exspectet. Interruptio non est in usu habenda, nisi ad finem alicujus horæ, cessante tamen aliqua honesta causa; nam causa interveniente interrumpi potest officium in quacunque parte, & deinde satis est illud reassumere ibi, ubi interruptum fuit. Ordinis inversio tandem est cavenda, quia dicere primò Vesperas, postea Horas absque aliqua honesta causa, culpa saltem venialis est, cum causa verò nulla est culpa: & idè, qui habet solum Diurnum, potest recitare Horas; recitaturus postea domi Matutinum, ubi Breviarium tenet. Tamburin. latè d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 3. per tot. & Martius in Theol. Moral. d. disput. 14. num. 52. & 53.

CAPUT XVIII.

De illis, qui obligati sunt recitare Horas Canonicas in Choro.

1. *Quer.* An Canonici, & alii Præbendati in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, qui ad Chori interessentiam tenentur, possint per aliquod tempus à Choro vacare? *Resp.* Eos posse vacare à Choro per tres menses sive continuos, sive interpolatos, ex Concil. Trid. sess. 24. de ref. cap. 12. Sed pro dictis tribus mensibus non lucrantur quotidianas distributiones, quæ interessentibus tantum dantur. Surdus Decis. 75. Ceccoper. de Canonis lib. 2. n. 175. Quæ doctrina limitanda est, si ex consuetudine dantur distributiones absentibus per tres menses, prout dantur in hac Cathedrali Patavina; & hæc consuetudo servanda est. Moneta de Distribut. quotid. par. 2. q. 12. num. 54.

2. *Quer.* An Canonicus, qui abest à Choro ultra tres menses, nihil curans de distributionibus, sed contentus fructibus suæ præbendæ, peccet mortaliter? *Resp.* Pro utraque sententia esse diversos Doctores, quos referunt Tamburin. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 4. num. 5. Et Ceccoper. de Canon. d. lib. 2. num. 179. qui inclinat in partem negativam, tanquam benigniorem; tribus tamen concurrentibus conditionibus; videlicet primò, quod non absit ex contemptu; secundò, quod non fuerit ei præceptum à Superiore ad interessendum; tertio, quod alii Canonici sint, qui frequentent Chorum, ita ut Divinum servitium nullum patiatur detrimentum.

3. *Quer.* Quænam sint legitimæ causæ, ob quas etiam in absentia obligatus ad Chorum percipit quotidianas distributiones? *Resp.* Eas esse plurimas in specie, sed in genere reduci ad duas, videlicet, vel ad infirmitatem, seu inhabilitatem personæ, vel ad utilitatem Ecclesiæ; idè hi, qui sequuntur, lucrantur distributiones quotidianas etiam in absentia, & sunt Canonici, qui privilegium obtinent à Sede Apostolica, quales sunt Auditores Rotæ, Commorantes in Curia, Collectores Cameræ Apostolicæ, Pœnitentarii, dum audiunt Confessiones, Theologus Canonicus, quo die legit publicè casus conscientiæ, Canonici interessentes nomine Capituli Concilio generali, Provinciali, vel Diocesano, incumbentes animarum Curæ, quæ imminet suæ Præbendæ, qui accedunt ad S. Limina visitanda, vel Episcopum ad ea accedentem comitantur; absens pro aliquo negotio, vel lite Ecclesiæ Collegiata, vel suæ Præbendæ, qui est infirmus, vel cæcus, vel laborat podagra, vel medicinam sumit, vel sanguine minuitur, qui senio nimio confecti sunt, aut qui aliquo iusto metu non possunt ad Ecclesiam accedere; qui injusta carceratione prohibentur, vel injusta censura vexantur, quas omnes causas examinat, & ad singulas Doctores allegat Barbosa ad Concil. Trident. d. sess. 24. cap. 12. à n. 75. & seqq.

4. *Quer.* An Canonici infirmi debeant habere distributiones, si contraxerint illam infirmitatem ex propria culpa, & peccato? *Resp.* Affirmativè, ex sententia Sacræ Congregationis, quam allegat Fagnan. in cap. Nisi cum pridem. num. 54. de Renunciat. tom. 2. pag. 157.

5. *Quer.*

24 Erot. Eccl. Cap. XVIII. De illis, qui obligati sunt &c.

5. *Quer.* Dum quis in absentia habet iustam causam lucrandi distributiones, an lucretur non solum distributiones, quas de sua præbenda contribuit, sed etiam illas, quæ proveniunt ex aliorum inexcusabili absentia? *Resp.* Quod suas tantum lucretur distributiones, tenere Garziam de Benef. par. 3. cap. 2. num. 465. & alios, quos allegat Ceccoper. de Can. d. lib. 2. num. 168. à quibus tamen recedit ob decretum contrarium Sac. Congregationis apud Barbosam in Collect. Apostolicar. Decis. verb. Canonici, quod ego non potui reperire; sed ejus loco valet consuetudo, quæ talis est hîc Patavii.

6. *Quer.* An absentes causa Studii, vel in servitio Episcopi lucrentur distributiones? *Resp.* Negative, nisi confisterent in distributionibus omnes fructus Præbendæ, quo casu duæ partes accrescunt occupatis in Studio, vel in servitio Episcopi, & tertia pars cedit interessentibus Divino Officio. Ceccoper. d. lib. 2. sub num. 170.

7. *Quer.* An causa Studii possint abesse à Choro tam Canonici, quam Mansionarii, seu Capellani Choro addicti? *Resp.* Negative, quia Indultum hoc concessum est à Jure solis Canonici, ut hi litteris imbuti melius Ecclesiæ deserviant. Vulp. in Praxi Judic. cap. 13. num. 6. Ceccoper. d. lib. 2. num. 170.

8. *Quer.* An absens absque causa legitima à Choro ultra trimestre, amittat ipso Jure tam distributiones quotidianas, quam fructus præbendæ suæ? *Resp.* Affirmative quoad distributiones, sed negative quoad Præbendæ fructus; quia hos non tenetur restituere in conscientia, nisi post condemnationem, dummodo tamen privatim officium recitaverit. Abbas in cap. 1. de Celebrat. Missar. & Ceccoper. d. lib. 2. num. 178.

9. *Quer.* Quenam Pœna de Jure inflicta sit contra beneficiatos non recitantes officium Divinum neque in Choro, neque extra Chorum? *Resp.* Ultra pœnam peccati mortalis in primis sex mensibus beneficiatos ad aliud non teneri. At semestri primo transacto, si omiserint recitationem officii, teneri ad restituendos fructus fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus. Ceccoper. d. lib. 2. num. 182.

10. *Quer.* Si beneficiatus sit pauper & omiserit recitare officium, ita, ut teneatur restituere fructus pauperibus. An possit ei à Confessario concedi, ut sibi tanquam pauperi ipsos fructus restituendos retineat? *Resp.* Affirmative ex Leoncill. de Privil. pauper. par. 2. privil. 37. num. 6. Dummodo promittat certe in posterum non omittere officium. Graff. de Cas. reser. lib. 2. cap. 28. in fin. vel cum tali intentione non omiserit officium. Vulpes in Praxi cap. 51. num. 57. Ceccoper. d. lib. 2. num. 182.

11. *Quer.* An qui semel, aut bis in anno prætermittit negligenter aliquas horas, eximatur ab onere restituendi fructus? *Resp.* Affirmare nonnullos ex benignitate, sed negativam opinionem esse omnino sequendam ob præcisa verba Bullæ S. Pii Quinti obligantis ad restitutionem, etiamsi una sola hora omittatur. Garz. de Benef. par. 3. cap. 1. num. 27. Ceccoper. d. num. 182. ubi tamen

concedit, quod si fructus restituendi sint exigui, restitutio erit facienda sub culpa veniali ob parvitatem materiæ, secus si summa non sit parva, puta duorum Juliorum, quia tunc prout in furto tenebitur sub mortali. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 14. ques. 8.

12. *Quer.* An quotidianæ distributiones sint distribuendæ interessentibus semel tantum in anno, vel pluries in anno? *Resp.* Posse distribui vel semel, vel pluries juxta consuetudinem, vel placitum Capitulum. Patavii in Ecclesia Cathedrali, & in Congregatione Parochorum distributio fit bis in anno. Ego in Visitatione Collegiæ Estensis, pro majori commoditate Capituli, decretum feci, ut singulis trimestribus distributiones dividerentur juxta doctrinam Monetæ de Quotid. distribut. par. 1. q. 4. num. 11. in fine, & q. 7. num. 4.

13. *Quer.* An recitans in Choro, vel cum socio teneatur attendere ad aliam partem Psalmi, quam recitat alter Chorus? *Resp.* Esse hinc inde opiniones Doctorum, qui magis inclinant in affirmativam, adeo ut difficilius sit satisfacere recitationi officii in Choro, & cum socio, quam recitando privatim, & absque socio. Nihilominus, absque scrupulo satis est attendere moraliter, ita ut expectetur finis versus alterius partis Chori, quamvis vel non intelligantur verba, vel attentio interna non habeatur ex aliqua causa ad dictam aliam partem Chori. Tambur. d. lib. 2. §. 4. num. 9. & seqq. ubi plurimos DD. cumulat.

14. *Quer.* Quando pulsatur Organum in Canticis, Hymnis, & Antiphonis, an interessentes in Choro debeant submissa voce recitare illam partem? *Resp.* Affirmative, nisi deputentur duo, qui clara voce recitent dictam portionem; tunc enim satis est eos audire. Tambur. d. lib. cap. 5. §. 4. n. 14. Ceccoper. d. lib. 2. num. 115. Et ego de Sacrif. Miss. Decis. 37. num. 33. At quando cum Organo Musici cantant, satis est pro satisfactione Chori eos audire absque alia obligatione recitandi.

15. *Quer.* An lucretur distributiones ille, qui in Choro recitat quidem cum Choro, sed adeo submissa voce, ut ab alia parte Chori audiri non possit? *Resp.* Non lucrari, quia Choro non satisfacit, verum tamen est, quod lucratur fructus Præbendæ sic recitando. Tambur. d. §. 4. num. 15. & 16.

16. *Quer.* An satis sit Canonici, suam solam præsentiam in Choro exhibere, sed nihil dicere, neque submissa voce recitare ad lucrandas quotidianas distributiones? *Resp.* Non deesse Doctores, qui affirmant satis esse, ubi talis sit consuetudo, ut videre est apud Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 4. n. 18. Cæterum cum fuisset Romæ Illustris, & Reverendiss. Petrus Leonius, Canonicus Paduan. & pro suæ conscientiæ securitate interpellasset de hoc Illustris, & Reverendiss. Archiepiscopum de Vecchiis, Secretarium Sac. Congregationis Concilii, habuit responsum, consuetudinem licet immemorabilem non suffragari ad lucrandas distributiones, & ad effugiendum peccatum juxta plures

Erot. Eccl. Cap. XVIII. De illis. qui obligati sunt &c. 25

plures declarationes ejusdem Sac. Congregationis, quarum copiam exhibuit præfatus D. Canonico tenoris sequentis. Vide licet

1. Urbis die 15. Novembris 1592. Sac. Congregatio censuit, Canonicos Basilicæ Sancti Petri teneri ad psallendum in Choro.

2. Gnesen. 22. Februarii 1614. Sac. Congregatio respondit, Horas Canonicas non posse per Vicarios, sed per ipsosmet Canonicos decantari debere, non obstant quacunque consuetudine immemorabili.

3. Buscodunen. 20. Julii 1620. Sac. Congregatio respondit, Canonicos Cathedralium, non solum teneri horis Canonicis interesse, sed etiam per se ipsos psallere, neque aliàs suæ obligationi satisfacere.

4. Patavina 17. Septembris 1667. Quo ad Canonicos ejus Cathedralis Sac. Congregatio declarationibus sæpè aliàs editis inhærendo censuit, illos non solum Canonicis horis interesse, sed etiam per se ipsos psallere, quacunque etiam immemorabili, contraria non suffragante, consuetudine teneri, neque aliàs suæ obligationi satisfacere.

Præterea præfatus Illustriss. & Reverendiss. Secretarius subjunxit, Sac. Congregationem ad sic declarandum præcipue moveri ex verbis apertis S. Concilii Tridentini, inuentibus, Canonicos debere personaliter in Choro psallere, & Deum laudare; nam in d. cap. 12. sess. 24. de Refor. vers. præterea, cum dictum sit, quod distributiones illi tantum percipiant, qui statis horis interfuerint; deinde, quasi explicans, quid sit statis horis interesse, subdit Concilium hæc verba: Omnes verò per se, & non per substitutos compellantur intervenire, atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, ac distinctè laudare. Quare non est attendenda amplius opinio Doctorum contrarium scribentium,stantibus præfatis declarationibus Sac. Congregationis; & ratione aperta resultant ex verbis S. Concilii Tridentini, contra quæ nemo timoræ conscientie debet esse ausus operari. Vide Ceccoperium d. lib. 2. num. 117.

17. Quer. An liceat recitare officium tertiatim, id est, à tribus unitim dicendo non alternatim, sed singulis ad tertium versiculum? Resp. Negative, quia hic mos recitandi non est receptus in Ecclesia. Tambur. d. lib. 2. cap. 5. §. 4. num. 23.

18. Quer. An Vicarius Capitularis, qui est Canonici; lucretur distributiones, si absit à Choro causa sui officii? Resp. Plures DD. negare, quos citat, & sequitur Barbosa, alleg. 54. num. 165. sed contrarium tenere Antonelli, de Regim. Ecclesiæ lib. 3. cap. 16. num. 21. quod num. 22. ampliat etiam ad examinatores Synodales, si talis sit Ecclesiæ consuetudo.

19. Quer. An sit obligatio recitandi officium Divinum certis horis? Resp. Affirmative, quo ad publicam recitationem in Choro, quo verò ad privatos Clericos nullam esse obligationem, ita ut quacunque hora officium recitent, non peccent. Tamburin. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 5. num. 1. Nisi sint

De off. Clericali Tom. II. Lib. VII.

celebraturi Missam, quia tunc debent recitare saltem Matutin. & Laudes. Ego de Sacrific. Missæ Decis. L.

20. Quer. Qua hora licitum sit, recitare Matutinum, & Laudes pro sequenti die? Resp. Plura plures dicere: sed magis tuta opinio videtur, ut computentur horæ à meridie usque ad occasum, & transacta medietate dictarum horarum, possit Matutinum sequentis diei recitari. Exempli gratia in æstate meridies est hora 16. & sic remanent horæ octo ad occasum Solis; transactis horis quatuor, & sic hora vigesima, licitum erit recitare Matutinum. In hyeme meridies est hora decima nona, post quam remanent horæ quinque ad noctem; medietas harum cum sint duæ cum dimidia, poterit Matutinum recitari hora vigesima prima, & dimidia, & sic ante horam 22. vide Tamburin. plurima ratiocinantem de hoc in d. §. 5. & num. 2. & seqq.

21. Quer. An die antecedenti, hora Vespertina possint recitari Litanie dicendæ in festo S. Marci, & in Rogationibus? Resp. Negare Tamburin. d. §. 5. num. 7. qui concedit, posse tantum anticipari Matutinum Defunctorum pro secunda die Novembris. Affirmare tamen Gavantum de Horis Canonicis sect. 6. cap. 16. num. 5. Gobatum in Theol. exper. tract. 5. num. 615. & Bissum in sua Hierurgia tom. 1. verb. Litanie num. 114. & cum ratione, nam ex Breviario dici debent simul cum Laudibus.

22. Quer. An Religiosus, vel Religiosa eo die, quo professionem faciunt, teneantur totum officium recitare? Resp. Negative, sed illam partem officii, quæ post factam Professionem est in Choro recitanda. Tambur. ibid. num. 8. subdens, quod, qui recitavit paulò ante professionem, vel Ordinis Sacri sumptionem, officium illius diei, minimè tenetur illud repetere.

23. Quer. An liceat recitare officium Divinum ex obligatione, dum auditur Missa de Præcepto? Resp. Affirmative, quia utraque est attentio ad divina, neutra alteram impediens. Tambur. ibid. num. 9. in fine.

24. Quer. An recitandum sit matutinum cum Laudibus ante celebrationem Missæ? Resp. Affirmare DD. ex consilio, negare ex præcepto, adeò ut quævis causa honesta non recitandi excuset etiam à culpa veniali, ut contra antiquiores defendit Tamburin. de Sacrific. Missæ lib. 1. cap. 7. §. 2. & Gobat. d. tract. 5. num. 667. ubi tamen non excusat à veniali cuspa litanem absque causa, & ex solo malo usu, non recitato Matutino. Porro esse culpam mortalem celebrare non recitato Matutinum, & laudibus illius diei, (legitima causa cessante) probavi de Sacrific. Missæ d. Decis. 50. quam lectorem non pigeat observare.

25. Quer. An sit aliqua obligatio circa locum recitandi Officium? Resp. Quoad publicam recitationem esse recitandum in Choro, & certis temporibus, vel in Sacrificia, vel in aliqua parte Ecclesiæ ad evitandum vel nimium frigus, vel nimium calorem juxta laudabiles consuetudines Ecclesi-

D

arum

26 Erot. Eccl. Cap. XVIII. De illis, qui obligati sunt &c.

rum. Porro in privata recitatione quilibet locus aptus est, nisi distractiones inde, vel irreverentia desumerentur; idèdque si ex necessitate, (utique urgentissima) quis recitaret etiam in immundo loco, vel super latrina, probabile est neque venialiter peccare. Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 6. ubi & de immodesto situ corporis loquitur, & Gobat. d. tract. 5. num. 687.

26. *Quer.* An stare, vel genu flectere juxta Rubricarum tenorem in officio sit de præcepto? *Resp.* Negativè in recitatione privata; adèd, ut, cessante contemptu, neque venialis culpa sit. Tambur. d. §. 6. num. 4. Gobat. *ibid.* n. 695.

27. *Quer.* Quanam sint causæ excusantes à recitatione officii Divini? *Resp.* Plurimas, sed omnes reduci ad tres tantum, videlicet, Impotentiam, gravem Occupationem, Dispensationem. Tambur. d. lib. 2. cap. 5. §. 8. Gobat. d. tract. 5. num. 708. & seqq.

28. *Quer.* Qualis sit impotentia? *Resp.* Impotentia præcisa, nempe ex privatione Breviarii, ex infirmitate, non tam quæ advenit, sed etiam quæ timetur probabiliter adventura. Tambur. d. §. 8. num. 2. Gobat. d. tract. 5. num. 709.

29. *Quer.* An, qui non potest recitare totum officium, teneatur saltem unam partem recitare? *Resp.* Hanc dari regulam à DD. quod, qui non potest recitare majorem partem officii, potest autem minorem, ad neutram obligatur. E contra, qui potest majorem recitare, non autem minorem, teneri recitare majorem ipsam partem. Qui verò mediam æqualem tantum partem dicere potest, tenetur eam dicere. Tambur. d. §. 8. n. 3. & 4. Jo. Sanci. *disp.* 15.

30. *Quer.* Quanam sit major pars officii, & quæ minor? *Resp.* Plures opiniones Doctorum reperiri. Præcipue sunt, Matutinum cum Laudibus esse majorem officii partem, unde, qui non potest illud recitare, neque ad alias horas recitandas tenetur. Vel majorem partem officii consistere in Matutino, Laudibus, & horis usque ad Nonam; unde, qui usque ad illam recitare non valet, neque Vesperas, & Completorium recitare tenetur. Ita Tambur. *alios allegans d. lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 8. n. 5. & seqq.* ubi num. 10. aliam opinionem Joannis Sanci refert, videlicet, non esse obligationem recitandi illam horam, cujus notabilem partem quis necesse habet omittere, ut si careat Breviario, sciat memoriter psalmos, sed non possit dicere lectiones, vel capitula & orationem. Ego autem dico, Matutinum cum Laudibus continere solam medietatem officii, idque desumo ex Bulla S. Pii V. quæ condemnat ad restitutionem dimidiæ partis fructuum illius diei omittentem recitare Matutinum & Laudes. Et idèd, qui non potest recitare totum Officium, sed tantum unam partem, eam recitare debet relictis opinionibus supracitatis, etenim cavendum est ab eis, stante Propositione damnata ab Innocentio XI. La 54. quæ dicebat: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest au-*

tem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

31. *Quer.* An qui cæcus est, & de per se non potest officium recitare, nisi cum socio, teneatur socium asciscere? *Resp.* Negativè. Tambur. *ubi supra num. 11.* qui tamen num. 12. contrarium sentit in cæco habente pingue beneficium; sed ego non recederem à negativa, quia infirmitas oculorum liberat ab onere recitandi officium; & quo ad fructus beneficii, si pingues sint, restat obligatio faciendi elemosynas, non autem vocandi socium pro officio dicendo. Eminētiss. Cardin. Toletus *lib. 2. cap. 14.*

32. *Quer.* Quanam infirmitas requiratur ad omitendam recitationem Divini officii? *Resp.* Talis infirmitas, quæ aliquod detrimentum, ad arbitrium Viri timorati, & bonæ conscientiæ causare valeat. Hinc solam quartanam excusare ait Tambur. ex DD. per eum allegatis d. §. 8. num. 13. & quidem eam ego expertus per annum, quamvis nunquam omiserim recitare officium ex Dei auxilio, quia sollicitus eram in hoc, tamen laborem nimium sentiebam, sed imitari volebam exemplum exemplarissimi Navatri idem de se scribentis in *Manuali cap. 25. num. 100.* & Gobati d. tract. 5. num. 715.

33. *Quer.* An peccet ille, qui officium non recitat ob infirmitatem oculorum, sed subinde per notabile tempus legit fabulas, vel libros profanos? *Resp.* Peccare, sed non ob omissionem officii, à quo infirmitas oculorum eum excusat, sed contra charitatem, legendo cum jactura oculorum, prout facit ille, qui comedit cibos nocivos sanitati. Tambur. *ibid.* num. 14. Gobat. *ibid.* num. 718.

34. *Quer.* Quid agendum in dubio, an recitatio nocitura sit sanitati, nec ne? *Resp.* Non esse recitandum, quia periculum nocimenti certum est, licet sit incertum nocimentum ipsum. Tambur. *lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 7. verb. Hora Canonica num. 2.* Gobat. d. tract. 5. num. 715.

35. *Quer.* An occupatio excuset à recitatione officii? *Resp.* Affirmativè, si sit gravis, & necessaria vel ad salutem animarum, ut in administrantibus Sacramenta, vel ad aliquod grave punctum honoris, vitæ, vel fortunarum. Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 8. num. 16. 17. & seq. ubi DD. cumulat.

36. *Quer.* Quid dicendum, si quis propè mediam noctem recitaturus sit officium, ac cœnaturus, & vocetur ad audiendam confessionem, ita, ut non remaneat tempus pro cœna, & pro officio, sed pro uno horum tantum, & ex necessitate debeat sequenti die celebrare? *Resp.* Tamburinum proponere hunc casum *dict. §. 8. num. 19.* sed illum non resolvere. Ego dicerem, quod nisi penitus indigeret cibo, deberet recitare officium; quod si omnino egeret, omittere officium, & manducare. Et ita etiam respondet huius casui Gobat. in d. tract. 5. num. 722.

37. *Quer.* An qui prævidet magnam occupationem in die habiturum, debeat recitare totum officium de mane? *Resp.* Tamburin. affirmativè, respuitque negativam aliorum Doctorum, & idem dicit de eo, qui te-

actur

neque audire Sacrum summo mane, quando scit, non posse audire sequentibus horis. Tambur. dicto §. 8. num. 20. & Gobat. d. tract. §. num. 711. ubi DD. dissentientes refert.

38. *Quer.* Quis possit dispensare à recitatione officii? *Resp.* DD. docere, quòd Papa erga omnes, Episcopi erga suos Dicecesanos, & Prælati Regulares erga suos subditos dispensare possunt. Papa absque causa. Cæteri non sine justa causa: At Episcopi, & Prælati inferiores verè, & propriè dispensare non possunt, sed declarare, legitimam esse causam non recitandi. Vide Tambur. d. §. 8. num. 23. usque in finem. Et Gobat. eod. tract. §. num. 729. & 730.

39. *Quer.* An qui ob infirmitatem perpetuam non valet Divinum Officium recitare, teneatur dispensationem impetrare à Sede Apostolica, vel commutationem in alias preces? *Resp.* Negativè, quia Pyrrh. Corrad. lib. 4. cap. 2. à num. 57. & seqq. docet, pluries per Romanos Pontifices hujusmodi supplicationibus responsum fuisse, si non potest recitari Divinum officium, non est opus commutatione. Cæterum quia importunè solent insistere aliquando personæ scrupulosæ, praxis inolevit, dandi commutationem, ut loco Matutini, & Laudum recitetur Corona Deiparæ, pro horis septem Pater, & Ave, pro vespere duodecim Pater, & Ave; ac alios septem pro Completorio, ac sic ait dispensare Pœnitentiarum; sed Datariam commutare in officio Deiparæ; Sacram quoque Congregationem remittere commutationem arbitrio Ordinarii, vel Confessarii; ac etiam commutari per Breve sub annulo Piscatoris sub eadem formula, aliquibus paucis Orationibus mutatis.

40. *Quer.* Quam portionem fructuum amittant beneficiati, qui non recitant Divinum officium? *Resp.* Ex Bulla S. Pii Quinti, quæ incipit *Ex proximo &c.* omittentem recitare totum officium uno, vel pluribus diebus, amittere fructus correspondentes illi, vel illis diebus. Eum verò, qui omittit tantum Matutinum, amittere dimidiam partem fructuum illius diei; qui omittit cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui verò harum aliquam, sextam partem fructuum illius diei amittere. Pyrrh. Corrad. d. lib. 4. cap. 2. num. 65. ubi Bullam ponit per extensum. Novissimè Pignatellus tom. 9. consult. 69. ubi plenè examinat hoc Quæsitum.

41. *Quer.* Quid agendum cum beneficiato, qui pluries omisit recitare Divinum Officium, & non potest fructus restituere vel ob paupertatem, vel aliud grave incommodum? *Resp.* Praxin esse, ut recurrat ad Sacram Pœnitentiarum, quæ rescribit Confessario, ut eum absolvat, injuncta salutari Pœnitentia, & imposita aliqua elemosyna facienda pauperibus ad arbitrium Confessarii juxta vires pœnitentis. Pyrrh. Corrad. ubi supra num. 67. & 68. & Pignatell. d. Conf. 69.

42. *Quer.* An Papa teneatur sub mortali recitare quotidie Horas Canonicas? *Resp.* Negare Jo. Præpositum in p. 2. D. Thoma q. 95. disp. 4. dub. 1. num. 4. & idem sentire, si non sejunct, seposito tamen scandalo; at

Doct. Clericali Tom. II, Lib. VII,

omniò affirmare Malderum, in p. 2. q. 96. art. 5. §. ut vero, ita, ut omittendo recitationem Divini Officii absque causa peccet mortaliter. Diana Coordin. par. 1. tract. 3. ref. 48. in fine.

43. *Quer.* Quid sentiendum est de Cardinalibus, nullum beneficium Ecclesiasticum habentibus? an scilicet ob solam dignitatem Cardinalitiam teneantur ad horas Canonicas? *Resp.* Hanc quæstionem examinari à Diana Coord. p. 3. tract. 6. ref. 2. & pro utraque opinione Doctores, & rationes per eum adduci, & ipse adhæret opinioni affirmativæ, videlicet quòd teneantur, & quidem non à die recepti rubei galeri in Sacro Consistorio, quia illa est mera ceremonia; sed à die recepti biretti rubei, nam statim incipit esse Cardinalis, & fruitur illa sublimi dignitate, etiam accedendo ad conclave ad eligendum Summum Pontificem, ut vidi observatum in Eminentissimo Cardinali Delphino Patriarcha Aquilejensi, qui fuit creatus Cardinalis ab Alexandro VII. & cum Papa obiisset, antequam ei galerum rubeum impertitus esset, nihilominus dictus Cardinalis ivit ad Conclavem, & ad electionem Papæ Clementis Noni, à quo postea galerum rubeum solenniter recepit Anno 1667. Mense Junio, quo tempore ego præsens eram in Alma Urbe cum meo Emin. Card. Barbado.

44. *Quer.* An Clerici eo die, quo recipiunt ordines sive Sacros, sive Minores, teneantur sub mortali recitare Psalmos, quos ei Episcopus injungit? *Resp.* Eos, qui minores ordines recipiunt, non teneri sub mortali, sed ex sola honestate, DD. quos allegat, & sequitur Diana d. p. 3. tract. 6. resol. 3. in coord. & ref. 23. §. ult. ubi videtur tenere, quòd etiam, qui Sacros ordines accipiunt, non nisi sub veniali obligatos esse ad injunctam recitationem Nocturni, vel Litaniarum ea die; sed ego contrarium teneo.

45. *Quer.* An sint aliæ Propositiones damnatæ circa beneficiatos, qui non recitant Officium? *Resp.* Esse duas sequentes. Una: Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante Sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna. Altera: Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque elemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. Ita Alex. VII. Prop. 20. & 33. Idcirco tales Propositiones, ac assertiones sunt odio habendæ tanquam scandalosæ, & damnatæ.

CAPUT XIX.

De Peccatis contra Primum Decalogi Præceptum, & primò de Superstitione.

Egimus de Adoratione, & Oratione, quæ spectant ad primum Præceptum Decalogi: Interrogemus nunc de peccatis contra ipsum primum Præceptum; & primò de Superstitione. Ideo

1. *Quer.* Quid sit Superstitio? *Resp.* Superstitio propriè sumpta, est offensa facta Deo

D 2

Dis